

# **La Bula de Eugenio IV (9 dic. 1438) que instituye la Congregación de la Observancia**

*En el número precedente, pp. 67-69, se publicó un sumario de la Bula con la cual Eugenio IV constituyó la Congregación de la Observancia, señalando sus facultades y gracias. El sumario está sacado de la traducción española dada por Herrera en su Historia del Convento de Salamanca, pp. 27-31, traducción hecha de la copia auténtica que se conserva, dice, en el Arch. Generalicio. Allí aún se conserva con la signatura Bull. Cº II, 47. El mismo P. Herrera la transcribió en el preciosísimo Ms. que formó con los extractos del referido Archivo y que es el actual Ms. 8435 de la Bibl. Nac. de Madrid. De éste tomamos el texto que ahora divulgamos. A ello nos hemos decidido por la importancia de la Bula, que es la Charta Magna de la Congregación. El capítulo de 1504 la considera como el elemento distintivo entre la Observancia y la Claustra (vd. supra pp. 80 y 85). En 1453 se quejaba el P. General de la inobediencia de la Congregación, que se amparaba en esta Bula, la cual no había visto, decía, ni había conseguido que el Vicario, no obstante habérselo pedido diversas veces, le enviase una copia auténtica (Arch. Gen., Reg. del P. Salem, Dd 6, 89º). Su sucesor, en cambio, en 1459 escribe que se rijan por la Bula, como desea el Papa (ib., Reg. de Alejandro de Saxoferrato, Dd 6, 92º). Poco a poco fue cayendo en desuso, pero a fines del siglo XVI hubo una tentativa de poner en vigor las facultades en ella contenidas. (Cfr. Archivo Agustiniano, 20, 1923, 63.)*

Bula de EUGENIO IV (9 de diciembre de 1438)\*

(BNM, Ms. 8435, pp. 1017-1019.).

EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Ad perpetuam  
rei memoriam.

Ad ea ex Apostolicae Sedis officio, per quae monasteriorum,  
aliorumque piorum locorum, necnon in illis sub regulari observantia  
domino famulantium, nobisque et Apostolicae Sedi devotarum  
personarum statui pariter et saluti valeat opportune provideri, liben-  
ter intendimus; ac illis quae provida consideratione concessa sunt,  
ut illibita persistant, libenter, cum a nobis petitur, Apostolicae adi-  
cimus munimina firmitatis.

Sane pro parte dilecti Ioannis de Alarcón ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini professoris, in Theologia licentiati, petitio continebat, quod olim dilectus filius Geraldus de Arimino, prior generalis dicti Ordinis, ipsum Ioannem in Sanctorum prope villam Vallisoleti, ac B.M.V. de Pilari apud Villam de Arenia, et Donnarum ac Vallisoleti, necnon B.M.V. de Matricali, Palentinae et Abulensis dioeceseum, ceterisque domibus, conventibus et heremitiis futuris provinciae Hispaniae sub regulari observantia dicti ordinis degentibus, suum fecit et instituit vicarium, dans et concedens eidem Ioanni tantam potestatem et auctoritatem domus et conventus huiusmodi regendi et gubernandi, et in spiritualibus et temporalibus administrandi, quantam alii ipsius vicarii in similibus habere consueverunt; necnon cum omnibus et singulis fratribus dicto Ioanni ratione vicariatus huiusmodi subditis in omnibus casibus, in quibus ipse generalis dispensare consuevit, etiam super irregularitate qua-  
cumque, si quam ipsi forsan excommunicationis sententia, sive sen-  
tencias ligati se divinis inmiscendo seu alias contraxissent, seu con-  
traherent, dispensandi; eximendo eos, et quemlibet eorum ab obe-  
dientia suorum inferiorum, ac obligando eos ad dumtaxat solvendum  
dictae Provinciae partem collectarum ipsis incumbentem; necnon  
ipso frates semel et pluries, quoties opportunum fuerit a sententia  
sive sententiis, quam, seu quas incurrisserint, vel in posterum forsan  
[1018] incurrerent, iuxta indultum eidem Priori a Sede Apostolica

---

\* Extat etiam authenticum Garciae de Malea, notarii salmanticensis de anno 1529, 15 octobris, iussu d. Petri de Vallejo, cantoris de Collagiata Briebescae, iudicis conservatoris Apostolici conventus S. Augustini salmantensis, in quo inserit et authenticat ex bulla sigillo plumbeo munita hoc privilegium. Nota del P. Herrera en el citado Ms., p. 1016.

concessum absolvendi; voluitque dictus prior quod ipsi fratres dictorum conventuum ad consilia provincialia invitati, nisi de eorum beneplacito, accedere minime tenerentur; ac idem vicarius quoscumque apostatas dicti ordinis sibi occurrentes, qui ad ipsum ordinem redire, et vitam emendare, ac sub regulari observantia vivere vellent, salvata tamen ipsius ordinis disciplina recipere, eosque a quibuscumque excommunicationis sententiis absolvere, et super irregularitate quamcumque cum ipsis dispensare; necnon poenas requisitas in mitiores et breviores commutare; fratresque claustrales, qui ad vitae melioris frugem largiori relicta transire, ac dictam observantiam amplecti vellent, una cum bonis eis ab ordine concessis, ipsius ordinis in hoc servatis statutis absque contradictione alicuius ipso priore inferioris aportandis similiter recipere posset. Quodque ad evitandum discursus, labores, et expensas nullus ipso vicario inferior eundem vicarium, seu aliquem sibi commissum ad dictum priorem citare valeret; et si aliquid dissidii, litigii ac quaestionis inter fratres ipsos ortum esset, fratres unum, et vicarius praedicti (*sic*) alium, viros probos et idoneos, qui quaestiones huiusmodi secundum aequitatem et iustitiam sedare, iudicare, et terminare habeant, eligere tenerentur; nec fratres aliqui dicto vicario subiecti sub poena excommunicationis a dicta observantia ad illam nullatenus reversuri, et accedere, ac ad conventus claustrales sine superioris licentia petita et obtenta transferre se praesumerent quoquomodo.

Praeterea voluit idem prior, ac ipsis fratribus etiam praesentibus et futuris concessit, ut dicto vicario ab hac luce migrante, fratres de observantia huiusmodi, odio et favore quolibet remotis, ipsis prius confessis, ac gratia Spiritus Sancti invocata, et Dominico sumpto Corpore, unanimiter congregati, unum ex eis virum idoneum vitae approbatae in suum possent eligere vicarium, quem sic ex eorum communi consensu electum praefatus prior ex tunc confirmabat et approbabat una cum singulis gratiis et potestate a dicto Ioanni vicario per eum, ut praemittitur, concessis.

Concessitque insuper dictus prior vicario praefato, ut ipse Conventum Vallisoleti, dictae Palentinae dioecesis, observantiae huiusmodi incorporare, ac illam inibi, quemadmodum vigere consuluit, instituere; sibique et conventibus praedictis de capite et membris providere posset. Nec non si dictus Ioannes, et illius successores vicarii domus, con- [1019] ventus, ac heremitoria huiusmodi ob infirmitatem vel alias personaliter visitare non possent, ad illa tune visitanda aliquem probum virum et idoneum, qui omnia facere pos-

set quemadmodum ipse vicarius, seu Prior, si ea personaliter visitaret, destinare ac deputare valerent. Quodque vicarius et illius successores, nec non fratres huiusmodi, ac eorum quilibet singulis diebus communionis presbyterum idoneum in confessorem eligere possent, ac posset, qui ipsos, ac eorum quemlibet ab omnibus eorum peccatis absolvere valeret perinde ac si ipsimet priori generali se confiterentur, prout in literis desuper confectis ipsius prioris sigillo munitis plenius continetur.

Quare pro parte dicti Ioannis nobis fuit humiliter supplicatum quatenus voluntatibus et concessionibus praedictis pro earum subsistentia firmiori robur Apostolicae confirmationis perpetuo duraturum adiiciens de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati voluntates et concessiones praedictas, aliaque omnia in dictis litteris contenta, quemadmodum praemissa contingent, ratas ac gratas habentes, illa omnia ac quaecumque exinde secuta ex certa nostra scientia, et auctoritate Apostolica confirmamus, et approbamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus si qui forsan intervenerint in eisdem. Ceterum ne in domibus, conventibus, et heremitoriiis praefatis inter dictos fratres praesentes et futuros temporis successu observantiam regularem aliquatenus relaxandi *ex* praemissis oriatur occasio, sed illa inter ipsos inviolata, et inconcussa perpetuis futuris temporibus conservetur, volumus quod dicti fratres de biennio in biennium capitulum generale pro omnium et singulorum circa observantiam, et illius fratres huiusmodi reformatorum reformatis adimplendis facere debeant, et teneantur, ipseque vicarius pro tempore existens ad nutum amovibilis existat, iliusque loco alter ex fratribus praedictis per ipsos, iuxta praemissa, eligitur, seu deputetur.

Non obstantibus etc. Datis Ferrariae, anno Incarnationis Dominicae 1438, quinto idus decembris, pontificatus nostri anno 8.

Gratis de mandato domini nostri Papae. M. de Brossis. A de Florentia registrata.